

Prot. n. 30265/99 CA

N

Dimissionis

Restitutionis in integrum

(Rev. Soror X – Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae)

Lata ab H.S.F., in causa de qua supra, sententia definitiva diei 15 m. Decembris a. 2001 coram Exc.mo Francisco Cocco-palmerio, quae edixit non constare de violatione legis sive in procedendo sive in decernendo relate ad decisionem Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae diei 12 m. Iunii a. 1999, Rev. Recurrentis Patronus die 14 m. Iunii a. 2002 restitutionem petiit in integrum, quam H.S.T. in Congressu diei 30 m. Octobris a. 2003 reiciendam statuit ac de facto reiecit.

Quam adversus reiectionem idem Rev. Patronus die 30 m. Novembris a. 2003 ad Collegium Em.morum et Exc.morum Iudicum recursum interposuit «a norma dell'art. 116 *Normarum specialium Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae* per i motivi che mi riservo di esporre nei termini che mi saranno concessi dal Supremo Tribunale».

Quibus praehabitis,

SUPREMUM SIGNATURAE
APOSTOLICAE TRIBUNAL

Re sedulo examini subiecta;

Visis praescriptis

- canonis 701, iuxta quod «legitima dimissione ipso facto cessant vota necnon iura et obligationes ex professione promanantia»;

- canonis 1647, iuxta quod «petitio restitutionis in integrum sententiae executionem nondum inceptam suspendit» et si «ex probabilibus indiciis suspicio sit petitionem factam esse ad moras executioni nectendas, iudex decernere potest ut sententia executioni demandetur»;

Considerato quod

- in casu H.S.T. sententia diei 15 m. Decembris a. 2001 rite intimata est Recurrenti die 14 m. Iunii a. 2002, quin immo ipsa Recurrens die 28 eiusdem mensis et anni domum religiosam reliquit;

- H.S.T. decretum diei 30 m. Octobris a. 2003 petitionem restitutionem in integrum reiecit cum «in casu ne indicium quidem appareat alicuius motivi, propter quod ad normam can. 1645 restitutio in integrum peti potest»;

- Rev. Recurrentis Patronus adversus hanc Congressus decisionem ad Em.morum atque Exc.morum Iudicum Collegium provocavit nullo adducto motivo;

Perspecto mandato, quod Recurrens suo Patrono contulit, nempe «meine Beschwerde und meinen Antrag auf Rückgängigmachung der Entlassung aus der Kongregation der Z (Englische W) weiter zu verfolgen beim Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica»;

Viso art. 109, n. 5, Normarum H.S.T. Specialium, iuxta quem una cum recursum exhiberi debet pecuniae summa, in arca deponenda;

Salvo termino peremptorio lege statuto ad recursum, motivis suffultum, interponendum ad Iudicum Collegium adversus decretum, quo H.S.T. Congressus petitionem reiecit;

Audito Rev.mo Promotore Iustitiae deputato;

declaravit seu decrevit:

Huius Supremi Fori sententiam impugnata, hoc pendente processu restitutionis in integrum, suam integram vim exserere;

Ad restitutionem in integrum persequendam, novum mandatum Patrono a Recurrente conferendum atque intra terminum peremptorium quindecim dierum H.S.T. exhibendum esse, necnon, intra eundem terminum peremptorium, summam 500,00 Euro in arca H.S.T. deponendam.

Et notificetur omnibus, quorum interest, ad omnes iuris effectus.

E Sede Supremi Signaturae Apostolicae
Tribunalis, die 11 m. Martii a. 2004

MARIUS F. CARD. POMPEDDA, *Praefectus*

✠ VELASIO DE PAOLIS, *Secretarius*